21

DISSERTATIO MEDICA

DE

VARIOLARUM INOCULATIONE.

QUAM Deo duce & auſpice Dei-parâ, in auguſtiſſimo Ludovicæo medico Monſpelienſi, tueri conabitur,

AUCTOR,

LUDOVICUS GINET, Viennenſis, ex partitione *de l'Izère*, Artium Liberalium magiſter, necnon jamdudùm medicinæ alumnus.

Pro Baccalaureatûs gradu conſequendo.

Ad utilitatem vitæ omnia conſilia, factaque noſtra dirigenda ſunt.....

TACIT.

MONSPELII,

Ex Typis TOURNEL patris & filii, Univerſitatis medicinæ Typographorum & Bibliopolarum.

M. DCC. XCII.

55151

FRATRI SUO DILECTO,

JOSEPHO DUCLOS GINET,

NEC-NON

AMICIS SUIS CARISSIMIS

AC IN ARTE MEDICA SOCIIS,

HASCE laborum ſuorum primitias, ſeque totum,

DICAT, VOVET, ET CONSECRAT:

LUDOVICUS GINET.

DISSERTATIO MEDICA

DE

VARIOLARUM INOCULATIONE.

PROŒMIUM.

HEU miſeram hominis ſortem! vix in lucem editus, morbis obſidetur innumeris quibus aliquotiès, in ipſo etiam materno ſinu haud immunis jacet: variolæ ideò tot inter & tantas ægritudines anumerandæ ſunt, dùm, nullâ ratione ætatis, ſexûs, conditionis, regioniſque, poſthabitis morbis primæ infantiæ comitibus, quartam generis humani partem vel morte, vel alicujus membri orbatione, vel fœditate mactant. Hinc humanæ conſervatrix incolumitatis, apta huic morbo expellendo auxilia invenit, artium omnium amœniſſima medicina. Quid enim humanitati conſonum magis? Quid laboribus noſtris digniùs quàm vitam ſimilibus ſervare & quaſi ineluctabilem removere mortem. Illa auxilia divina, letho capita noſtra circumvolitanti repellendo apta, in variolarum inoculatione nobis offeruntur, quæ ubiquè nunc eſt propagata.

Ubinàm vero gentium ſuam prompſit originem variolarum inoculatio ! Id ignotum manet, quamquàm ipſam detegere quàm plures enixi fuerint; id unum pro certo tenemus quod in Georgiâ, Circaſſiâ, Theſſaliâ, aliiſque regionibus diverſis felicitèr viguerit; quòd eam Anglis propopoſuerit *Domina Montagu*, ipſam denuò nobis Angli tranſmiſerint (fuſius eâ de re brevitati conſulens ſermonem non faciam) ut ut ſit, inoculationis hiſtoriam, illius emolumenta, præſtantioremque ac tutiorem methodum præbere, & tandem illius jura vindicare, licet junioribus humeris impar officium, pro tenuibus enitar viribus. Quare prout mihi ſinent præfixi iſtius diſſertationis limites, ſequentibus immorabor.

Ætati, ſcilicèt, quâ tutiſſimè fieri valet inoculatio, ſubjecti conſtitutioni ac anni tempeſtati, præparationi atque puri varioloſo eligendo, operandi tandem curandi-ve methodo.

§. I.

De ætatis tempore.

Fauſtè apud infantes, adoleſcentes, adultos octogenariosque (1) celebrata fuit inoculatio, ut ab imminentibus variolarum naturalium periculis citiùs fierent immunes. Non ideò quâcumque ſub ætate celebratur inoculatio; tenerrimâ præcipuè infantiâ aut ſenectute; infantes quippè extremâ ſenſibilitate præditi motibus convulſivis, epilepſiæ, dentitioni, vermibus ſunt obnoxii, quæ ſingula variolis complicata morbum multò periculoſiorem redderent.

(1) Mirum non eſt quod morbus per inoculationem excitatus magnis præ naturalem gaudeat prærogativis. Subjectus eligitur ſanus, ætatis ad morbum tolerandum aptioris, anni tempore commodiſſimo, nullo immediate prægreſſo diœtæ exceſſu; variolæ autem naturales ex improviſo obortæ, non minùs imbecilliores quàm ſanos occupant, nec ætati, nec ſexui parcunt, & maximis præſertim diætæ erroribus immediatæ inter infectionis & eruptionis epochas prægreſſis; quàm plurimùm quoque ut in aliis contagioſis morbis, ad periculi incrementum confert terror quo ſæpè ſæpiùs periclitantur adulti, dum infantium ignorantia, in perfectâ eos ſecuritate nutrit.

In ſeneƈtute etiam materia variolosa difficillimè in humorum maſſam pervenit, nec etiam ſuccedit operatio propter fibrarum rigiditatem, aut ſi ſuccedat, propter eamdem rationem difficillimè ad cutem promovetur, & tunc ad organa internà ferri cogitur, quod variolas maximè malignas ac ſæpiſſimè mortales efficit. A quarto itaquè anno ad decimum uſque vel duodecimum annum, fiat inoculatio; cùm in hocce vitæ ſtadio omne variolis faveat; moderata scilicet valida tamen adeſt vis vitæ, blandiores ſunt humores, nulla ſunt vel ſaltèm exigua anni pathemata; cutis humidior, mollior, laxiorque, facilem benignam quoque erruptionem reddit. Ut ut ſit quò magis ætas ab ætate ſeleƈtâ recedit, eò periculoſiores fiunt variolæ.

Conditiones attamen adhibeantur requiſitæ apud omnes, qui nondùm variolas paſſi fuerint. Obſervetur quoque ſubjeƈti conſtitutio.

§. 2.

De ſubjecti conſtitutione.

Ad variolarum inoculationem ii ſeligendi ſunt ſubjeƈti qui ſani admodùm ac omni vitio hereditario accidentali-ve ſint immunes, quantum poteſt fieri: quibuſdam attamen morbo quodam chronico laborantibus proſperè ſucceſſiſſe inoculationem quidam auƈtores aſſerunt. Apud infantes igitur & adultos felicem exitum habebit operatio, modò ſani ſint, hilares, omni labe immunes, quique cutem roſeam, pellucidam habent, cicatrıque facilem, alitu non putrido, alvo laxâ, ſomno quoque quieto donentur. Apud illos non ideò prætermittenda operatio qui prærogativis iſtis neutiquam gaudent, dummodò incommoda graviora haud præ ſe ferant. Mulieres operationem hanc non ſubeant quæ utero gerunt, quamquàm obſervatione conſtet quaſdam variolarum inoculationem felicitèr ſubſtinuiſſe absque fœtus matrisve detrimento, fœtumque natum fuiſſe variolis maculatum (1), nec puellæ

(1) Vid. Thomas Dimſdale, traduit par M. Fouquet, pag. 299..... Hæc ibidem leguntur ipſiuſmet verba interpretis......... Un trés-grand Seigneur de la Cour de Vienne, d'un mérite & d'une modeſtie rares, m'a fait l'honneur de m'aſſurer, en dernier lieu à ſon paſſage à Montpellier, que Madame de *Summeran* de Vienne, enceinte d'environ cinq mois, ayant été ſaignée par un

quarum menſes malè ſe habent aut tempore menſtruorum, dies autem tertius vel quartus expectetur poſt menſium fluxum, vel tutiùs antè primam menſium apparitionem (1). Verbo dicam, tùm apud mares, cùm apud puellas remittatur operatio, tempore quo velociùs corpus accreſcit; accretio quippè corpus debilitat, hinc cauſis quibuſlibet morbificis impar fit ſubigendis. Propugnetur igitur vitium quodlibet, ut inoculationem fauſtè ſubeat; quæ res, ut ſit, ad anni tempeſtatem attendendum eſt.

§. 3.

De anni tempeſtate.

Ad inoculationem eligatur præ cæteris ea anni tempeſtas quæ morbis epidemicis vacua eſt; cùm verò quæque tempeſtas morbos ſuos habet; hinc non una præ aliis eligenda eſſet; attamen vigente brumâ ceſſare ut plurimùm morbos epidemicos obſervatur; hinc ea tempeſtas aliis palmam ſibi præripit ad inoculationis negotium; nonnulli in plagis meridionalibus, ubi adolevit hyems illam felicitèr ſuccedere volunt: illo enim ſtadio tempeſtas hic locorum ambigit inter ver & hyemem; variolæ at verò cùm ſint morbus cutis, cutis etiam ſtatus pro variâ atmoſpheræ conditione immutetur, congrua eligatur tempeſtas neceſſum eſt.

Notandum inſupèr, 1°. quòd, ſua cuique ætati ſit conſtitutio; phyſiologiâ nimirùm conſtat in primo vitæ ſtatu mucoſam adeſſe, in ſecundo phlogiſticam, in tertio bilioſam, ac in quarto pituitoſam; 2°. quòd variæ anni tempeſtates variis faveant diatheſibus, videlicèt, ver diathæſi phlogiſticæ, æſtas bilioſæ, autumnus & hyems mucoſæ & pituitoſæ; 3°. quòd omnes humani corporis humores multis obnoxii ſint degenerationibus propter varios variarum tempeſtatum influxus, & præſertim æſtatis & autumni.

Quibus ritè perpenſis, temperamentis nempè diverſis, ætatibus, varia-

---

chirurgien inoculateur, qui eut l'imprudence de ſe ſervir d'une lancette dont il venoit de faire l'inſertion, en contracta une petite vérole de très-bonne eſpèce ſemblable, en tout, à celle qu'elle eût pu avoir, ſi on l'eût inoculée à deſſein, & qui ne ſe communiqua pas à ſon enfant.

(1) Vid. Hiſtoire de l'inoculation par M. Condamine, pag. 310.

rumque tempeſtatum influxu, notum manet quânam cuilibet anni parte nociva erit inoculatio. Idcircò cùm ex omnibus complicationibus quas patiuntur variolæ, peſſima fiat, cùm febribus gaſtricis, quæcumque ſit materialis cauſa, ſive biliosa, ſive pituitoſa, febres autem gaſtricæ quibuſcum potiſſimùm conjungi adamant variolæ, æſtate vel autumno (1) generatim vigeant, inoculationi haud proficuas eſſe haſce duas tempeſtates concludendum ducimus. Dùm è contrà præ aliis anni tempeſtatibus, modò ea tempora fuerint qualia oportet, maximè idonea eſſe arbitramur, tempus vernale & hyemale, rigiditates autem hujuſcè poſterioris tempeſtatis ſi vitentur; enim verò dùm exit hyems, & incipit ver, inflammatoria viget febris quæ variolarum genio familiarior eſt, aliiſque velociùs ac faciliùs ſolvitur. Hæc inſuper ab *Hippocrate* obſervata lex fuit quod à veris influxu motus tonici è centro corporis ad peripheriam effugiant, id autem omnibus morbis ab eruptione cutaneâ ſolvendis favet quamplurimum; æſtate verò ſint debilitati, autumno quoque viam oppoſitam, variolis proindè nocivam petant; motus ſcilicet vitales, ad ventriculum aliaque organa interiora determinati, fauſto variolarum labori obſtant, quem in cute præcipuè ſcimus abſolvi. Cùm diatheſi mucosâ laborent infantes, autumnus verò huic diatheſi faveat, neutiquam in hocce tempore inoculationem ſubeant, ſed vere, quod diatheſi phlogiſticæ favens, genium mucoſum quodammodo minuit. Quæ cùm ità ſint, de variis vitæ ſtatibus eadem erit ratiocinii norma, quòd videlicet diatheſes cuilibet ætati proprias, cuique conſtitutioni peculiares & quâdam tempeſtate procreatas, ſagax medicus obſervet, variolaſque non inferat dùm cauſas morbi hujus complicationem ſecum trahentes agnoſcit; quod ſi pro inoculatione celebrandâ ferat judicium, præparationi ſubjecti conſulat.

§. 4.

De præparatione.

Genuinus præparationis, quam non ſolummodò utilem, ſed & ne-

(1) Les maladies épidémiques (inquit Dimſdale) entr'autres, les diarrhées, les fièvres intermittentes, les maux de gorge avec ulcère, &c. (toutes maladies plus ou moins ſujettes à ſe mêler avec la petite vérole) étant plus fréquentes en automne, cette ſaiſon ne ſauroit, par cette raiſon, être la plus convenable pour l'inoculation.

ceſſariam arbitramur, iſte ſcopus eſt, ut ſanitate perfectâ, quantùm fieri poteſt, gaudeant individua, ac à pleriſque noxiis concomitantibus immunia fiant. Præparatio quædam in ſubjectis etiam ſaniſſimis olim univerſaliter adhibebatur; experientiâ etiam nunc frequentiore in ſanis ipſam ſupervacaneam non eſſe conſtat; eâ de re *Dimſdalium* proſequimur alioſque benemultos; ſanitas idcircò quàm optima accerſenda venit, vel debilitando, diætâ tenui, purgantibus, & nonnumquam venæ ſectione; vel roborando diætâ fortiore, balneis frigidis, exhibitione corticis peruviani, &c. Si fortè adſit vitium aliquod accidentale, medicus id remediis idoneis curabit, undè concludi poteſt quod nulla detur regula univerſalis, quâ præparatio antè operationem dirigi queat; ſed pro variis temperamentis varianda ſunt medicamenta, & diæta; ſi primæ viæ ſolummodò purgatione evacuandæ ſint, ſatis ſupèrque dabitur temporis inter operationem & eruptionis ſymptomata, ad hoc perficiendum, diætam mox deſcribendam in omni caſu per duos treſve antè operationem ſeptimanas, inoculatores ferè univerſi conſuluerunt, & nobis ex quo facta eſt inoculatio ad uſquè morbi finem neceſſaria, vel ad minimùm utilis eſſe videtur.

Vetantur carnes, carnium juſcula, vinum, aromata, & cujus vis generis calefacientia, nec non butyrum, caſeus, piſces & ova: conceduntur farinacea, lac, vegetabilia cocta, oriza, fructus, infuſiones theæ, & quibuſdam caffæi, & etiam chocolati; ſed his cautè & parcè utendum, ac etiam acidorum ſolummodo uſus liberior permittitur, ſi hæc ſumere ſoleant. Cùm durante præparatione, tùm poſt factam operationem, per vices exhiberi poteſt medicamentum, quod *Dimſdalius* ſuadet, pag 295. » Huit grains de calomel, pareille quantité de » de poudre de pattes d'écriviſſes compoſée, (1) un huitième de grain de » tartre émétique, ou deux grains de ſouffre doré d'antimoine précipité. » Idemque medicamentum junioribus & fœminis, pro ætatis & virium ra-

---

(1) Ibidem notat *Dimſdalii* egregius interprés. » Cette poudre eſt compoſée, » ſuivant la formule du Collège de Londres, d'une livre d'extrêmités des ſerres » ou groſſes pattes d'écriviſſes préparées, de trois onces de perles préparées, » & de pareille quantité de corail rouge préparé; le tout mèlé enſemble. »

tione

tione, minori doſi conſulit. Incipiendo diebus decem antè operationem, hoc medicamentum exhibet die primâ, quintâ & penultimâ, & totiès manè ſubſequente purgans; talis verò præparatio rariùs neceſſaria ducitur, vulgò ſatis eſt, veſperc operationem præcedente, medicamentum mercurio antimoniatum exhibere; mane verò ſequente, purgans lene, & poſt meridiem inoculationem exequi; & eodem modo mercurio antimoniatum & purgans ſemel biſve ante eruptionem iterare, ſed ſemper attendendum eſt ad ſubjecti temperamentum, & conſuetudinem; nàm eò ipſo judicatur de longiori aut breviori præparatione adhibendâ; nàm ſi aliquandò evenit ut inoculatio variolas malignas produxerit, hoc præparationi non opportunæ ſæpiſſimè tribuendum eſt.

§. V.

De pure varioloſo.

Materies varioloſa, vel recens in ſtatu fluido, vel exſiccata, per inoculationem variolas producit, ſuprà filamenta collecta & exſiccata, poſt quoddam temporis ſpatium, ut experientiâ conſtat, efficaciam ſuam conſervat, atque commodiſſimè ad loca diſtantia tranſfertur: ſed ubi comparari poteſt, materies fluida potiùs optanda; tùm quià nonnulli arbitrantur quòd mitior indè morbus, tùm maximè, quià mediante illâ, operatio & ſimplicior, & rariùs fruſtanea. Nil intereſt an hæc materies ex ſubjecto morbo naturali, (1) an artificiali laborante deſumatur; an perfectè cocta (ut aiunt) ſit necne; demonſtravit experientia, quod iidem effectus, à primâ humoris guttulâ quæ ad locum inſitionis aliquot diebus antè eruptionem invenitur, ac à pure cocto, vel etiam in puſtulis ſicco, expectari poſſint; à peritioribus verò eligitur fluidum illud ſeroſum, ad locum inſitionis, tempore febris erup-

---

(1) » Il paroît indifférent (inquit *Dimſdalius*, pag. 303) que la matière » variolique ſoit priſe d'un inoculé, ou d'une perſonne qui a la petite vérole » naturelle. Je me ſuis ſervi de l'une & de l'autre matière; il ne m'a jamais » été poſſible d'y reconnoître la moindre différence, tant pour ce qui regarde » la certitude de l'infection, que pour ce qui eſt des progrès & de l'iſſue de » l'opération. Je prends donc indifféremment la matière variolique, ſur l'un » ou l'autre malade, comme l'occaſion s'en préſente, ou ſuivant le déſir des » futurs inoculés ou de leurs parens. Il eſt encore indifférent qu'on prenne la » matiére avant ou durant la ſuppuration. &c. »

tivæ, inventum, ut potè quòd citiùs & certiùs agat in morbo producendo. Majoris eſt momenti in quale corpus introducitur, quam ex quo deſumitur materies varioloſa; pro majori tamen cautelâ, ſatiùs erit ut è corpore ſano, quantùm fieri poteſt, variolis benignis laborante, pus rectè elaboratum, vel maturum præ crudo, recens pro exſiccato vel veteri, deſumptum ex artificialibus præ naturalibus, adhibeatur. Dantur nihilominùs exempla innumera, ubi has cautelas impunè ſpreverunt inoculatores; jàm verò præſtat tutiora ſequi.

§. VI.

De operatione & curatione.

Variis quibus exerceri valet inoculatio methodis non immorabor, unam ex iis perpendere ſolùm mihi eſt, ſutonianam videlicèt; eâ quippè adhibitâ nullum hactenùs viſum fuit periculoſum ſyptoma, ipſamque ſubſecuta haùd fuêre incommoda aliis methodis addicta, ulcera nimirùm, ereſypelas, abſceſſus, atque alia quæ morbum adaugere queunt. Sutonianam idcircò methodum adhibere ſatiùs eſt; quæ ſic fit.

Habeatur lanceola (1) quâ perforatæ fuerunt puſtulæ variolarum benignarum (2), ac ipſa leviſſima fiat punctura in brachio inter epidermidem & cutem. Lanceola autem talis ſi deficiat, ſpongiam oportet viru varioloſo imbui, lanceolam aquâ madefieri cujus apex in ſpongiam immittatur; lanceola idcircò materiâ varioloſâ ab aquâ diſſolutâ impregnatur ad operationem apta. Dùm autem fit operatio, in puncturâ tantiſpèr linquatur apex lanceolæ neceſſum eſt, ut virus exuatur varioloſo; variolas equidem ii omnes non patiuntur, qui & operationem ſubeunt, nec ideò repentè eos ipſi denuò ſubjicere oportet uſquè ad undecimam diem, quâ dummodò nulla variolarum appareant prænuncia quæ præſertim circa puncturas obſervantur, ut durities, inflammatio vulneris, puncta paulatìm adaucta, alia quoquè ſymptomata, ut capitis, ſtomachi & renum dolor febre ſtipatus;

(1) Vel ipſius loco, acus quam depictam videre eſt in præloquio D. *Fouquet*. Ex quâ nihil infantibus pertimeſcendum venit, ob ſimplicem ipſius ſtructuram.

(2) Vide paragraphum ſuperiorem.

dummodò, inquam, hæc omnia abſint, rurſus tentari debet operatio; ſi è contrà adſint, abſque tamen eruptione, operatio haùd denuò fiat; ex multis quippè inoculatoribus, pro variolis adeſt febris, adſunt & alia ſymptomata ipſi adjuncta, hoc autem raрò evenit. Eam itaque anteponendam eſſe dicimus lanceolæ methodum, quâ morbus exſurgens quatuor ſtadia decurrit; primum ſtadium quod dicitur infèctio localis, ab inſtanti operationis uſquè ad febrem invaſionis, ſecundum ab eâdem febre invaſionis, tertium à puſtularum ſuppuratione necnon exſicca-tione, deſignantur. Quatuor hæc ſtadia, curationem quoquè breviter exponam.

Infectionis illud eſt ſtadium quo materies varioloſa in humorum maſſam introducitur. Exiſtit ab appoſitione virus variolosi uſque ad ſtadium febrile. Primo hoc temporis intervallo, hilaris eſt inoculatus nullaquè fere eſt functionum læſio; aliquando rigidus adeſt in axilla dolor qui levi ex tumore glandularum hujus partis producitur; obſervatur etiam quandoquè vomituritio; quæ cùm omnia admodùm levia ſunt, morbus adeò ſimplex evenit, ut multa auxilia non poſtulaverit, varia enim placidè percurret ſtadia: provida natura morbum ad ipſius felicem conducet ſolutionem, modo ægrotantes quaſdam regulas teneant. Sed ſi vehementiores evadant ſymptomata ſuprà dicta, illis quoque febris jungatur, tunc medici prudentis eſt ut ea propugnet; tenuem inſtituat diætam, victum ideò parcum ac vegetabilem jubeat; carnes ſubtrahat, natura equidem ipſa has recuſat; levia adhibeat juſcula, vel cremores avenæ, vel orizæ, fructus maturos, ac alia quæ nec caloris nec frigoris vim aliquam egregiam obtinent, nec ventriculo concocturo moleſtiam exhibent, alvum miti purgatione clyſteribus vè laxam reddat, tùnc quippe ſuo in ſanguine virus varioloſum effectus producere nititur, ea idcirco omnia ſunt avertenda ipſis producendis contraria. Stadio huic ſtadium ſuccedit febrile morbi eſſentiam conſtituens; die ſeptimo vel octavo poſt virus varioloſi inſertionem die incipit; per illud ſtadium febre maximè notatum, fortiora evadunt ſymptomata, dolores capitis, lumborum, renum, aliarumque partium vehementiora fiunt; laſſitudo, calor, inflammatio circà puncturas augetur; atque circâ eas naſcuntur puſtulæ; adeſt ferè ſemper nauſea, ac ſæpiſſime vomitus; pulſus frèquentior eſt, moleſti ſunt inoculati; quò fortiora ſunt hæc ſympto-

mata, eo major eſt febris quæ ab inſtanti invaſionis ad tertium quartum ve diem extenditur, quo tertium incipit ſtadium, criſeos; dictum, ſeu eruptio quæ decimo aut undecimo die ab operatione naſcitur, quæ ſpectari debet ut naturæ molimen ad promovendam materiam variolosam ad cutem; cumque difficilis eſt, omnia tentabit medicus ut facilior evadat, remedia ſcilicet ægri temperamento convenientia, prout calidum & frigidum, debile vel forte ipſi apparebit. D. *Houlſton* in virium oppreſſione quæ facilem impedit eruptionem laudat quàm multùm ſulphur aureatum antimonii, kermes etiam minerale; pro potu ordinario ex eodem auctore, ab operatione uſque ad convaleſcentiam uſus permittitur aquæ frigidæ & emulſionis, infuſionis, tamarindorum; continuo laxa ſit alvus? Potus adhibeantur demulcentes, refrigerantes, liquores autem arceantur ſpirituoſi, potionesque fermentatæ? quo difficilior eſt eruptio, eo morbus intenſior; ſi facilis, omnia ſymptomata evaneſcunt aut multùm minuuntur, ſicut & febris; tuncque ſpectator dumtaxat ſit medicus. Tandem eruptione factâ quartum accedit ſtadium, ſuppuratio nimirum quæ tertio aut quarto ab eruptione die incipit, & quâ durante febris ſæpè adeſt, ſuppuratoria dicta quæ morbum ſolvit. Per totum morbi decurſum omnibus ſub ſtadiis, in conclave quod aëri frigido non tamèn immiti, ſed ægri ſenſus permulcenti, liberum præbet aditum, detineatur æger; atmoſphera quippe vaporibus infecta foret, quibus contagio ſcatentibus, ab ægroto aſſidue inſpiratis, morbus vehementer valeret adaugeri; plura veſtimenta non induat æger quam quibus ipſi proſpera in valetudine uti erat ſolitum. His ſapienter adhibitis, abſque metuendis ſymptomatibus evenit & abit eruptio, cui ſuppuratio, ſuppurationi autem ſuccedit deſſicatio tùm & etiàm deſquamatio, quo tempore incipit convaleſcentia, nec tùnc ullis remediis opus eſt; ſucculentiora, valentiora què alimenta quorum quantitas in die uſque ad perfectam ſanitatem prudenter augebitur, ſumat convaleſcens ex indè fauſto ſucceſſu gaudens, ad priſtinam vivendi normam deveniet.

DIXI.

Argumentabuntur Illuſtriſſimi Profeſſores DD. P. J. BARTHEZ, *Univerſitatis Cancellarius*, G. J. RÉNÉ, *Decanus*, G. J. GOUAN, *Pro-Decanus*, F. BROUSSONET, H. L. BRUN, H. FOUQUET, J. B. BAUMES.